



# The Holy See

---

PIUS PP. X

EPISTOLA

***PII PP. X COMMENDANTIS OPUS  
THEOLOGIAE MORALIS A P. AERTNYS CONSCRIPTUM\****

DILECTO FILIO  
IOSEPH AERTNYS SACERDOTI  
E SODALITATE SS. REDEMPTORIS - WITTEM

*Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Tuos de morali theologia libros quemadmodum iucundo animo, oblatos muneri, accepimus, ita libenti et grata voluntate dilaudamus. Equidem magister disciplinae tam gravis, qui quinquennia esset quinque in tradenda theologia morum emensus, nullum poterat uberiores sive scientiae sive usus rerum proferre fructum, quam qui editus a te est. In quo non perspicuitas sententiarum placet sola, sed gravitas etiam rerum, optimis suffulta non tam auctorum quam rationum fundamentis; quamquam, si doctorum velimus praestantiam spectare et pondus, eum tibi reperimus delectum habitumque constanter ducem, quem huius studiosus quisque doctrinae inoffenso semper decurrat pede. Quamobrem meritum te praeclare quum de clericis in studia incumbantibus, tum de sacrarum confessionum administris, gratulatione prosequimur et voto; tali nempe voto, ut non modo perficiendae sacerdotum scientiae prosis abunde, sed etiam parandae facilius fidelibus multis saluti. Testem benevolentiae Nostrae auspicemque coelestium gratiarum Apostolicam tibi benedictionem peramanter in Domino impertimus.

*Datum Romae apud S. Petrum, die II Maii anno MCMVI, Pontificatus Nostri tertio.*

\*AAS, vol. XXXIX (1906), p. 338.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana